in nidum suum. Dixerunt quidam philosophi quod ille virtutes in brutis potius aguntur a natura quam agant. Sed in homine potius agunt quam agantur, quia in bruta moventur pro tempore et impulsu appetitus naturalis. Motus autem humani regulantur per regimen rationis. Item quod melancolici et infirmi et amentes habent mixtas fantasias, sed hoc non est ex illustratione que fit per ymagines rerum sensibilium, sed ex passionibus nimie et confusione spirituum ascendentium ad cerebrum et caput turbantium. Tales enim spiritus diversificant ymaginum volutiones faciunt et generant horribiles visiones et conceptiones. Item sciendum preterea quod bruta citius recipiunt influxiones primi motoris quam homines, sicut patet in formica que cum cibum colligit infra tres dies non pluit, et gallus cantum suum pro tempore variat, quia mutationem aeris ex influxione primi motoris presentiunt. Huius autem ratio hec est: quia homines multipliciter occupantur circa conceptiones suas confirmando et componendo ac dividendo, quare et influxiones primi motoris non percipiunt sicut bruta que non sic occupantur in suis conceptionibus, nec per illas operantur, sed tantum per instinctum nature. Ista vis scilicet fantasia plurimum intellectum impedit eo quod nimis occupat animam compositione et divisione ymaginum non solum acceptarum a sensibus sed et fictarum. Maxime autem impedit intellectum cum ad de celestibus et divinis in ipsum imprimuntur. Et hoc ideo quia conceptiones intellectus ut frequenter non sunt similes ymaginibus et fictionibus fantasie. Item fantasia ponitur in medio medie celle cerebri tamquam centrum inter ymaginativam et memorativam, quia fantasia convertit se tam super formas quas accipit ab ymaginativa per sensum quam super intentiones quas reservat memoria. Et tunc illas formas et intentiones dividit et componit.

De memoria. xli. c.

Memoria est repositorium preteritorum. Reservat enim memoria tam formas apud ymaginativam repositas quam intentiones per estimationem a figuris rerum elicitas. Item anima per memoriam mediantibus rebus sensibilibus redit in ipsas res sensibiles que sunt extra ipsam. Et propter hoc circa actum memorie duas operationes procedere, quarum una est hoc est preceptum, et hec est operatio sensus communis, et in hoc memoria incipit. Secunda est hoc est continuatum apud nos quod fit per ymaginationem. Oportet et quod ante memoriam quedam virtus operetur que ex figuris rerum dicat rerum intentiones singulares. In hoc autem differt ymaginatio a memoria quia illa species rerum, hec autem intentiones specierum conservat. Item sciendum quod memoria differt a reminiscentia, quia memoria discrete et distincte revertitur ad res componendo intentiones distinctas cum ymaginibus. Reminiscentia autem sive recordatio est motus quasi interceptus et abscisus per oblivionem et cum collatione temporis et loci et huiusmodi. Reminiscentia enim motus non est uniformis, sed causatur ex pluribus principiis circumstantibus, et cuius ratione est reminiscibilitas, cum sit principium multorum prius memoratorum. Cum enim per memoriam fiat rerum apprehensio ita quod eedem res prius fuerint in se vel aliis sensibus cognite, patet quod si quis rem totaliter est oblitus, non potest per memoriam recordari se esse oblitum. Sed si